



**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani  
Ivrvvm Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii  
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum  
Patroni**

**Rebuffi, Pierre**

**Coloniae, 1610**

IX. Quæst. An Concordatis derogetur per regul. de beneficiis  
promouendorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

missa, continent meram gratiam, quæ in  
libera Pontificis remanet facultas, iuxta il-  
lud: quicquid ligaueris super terram, &c.  
4 *Math. c. 16.* Et facultatem iure diuino Pon-  
tifici competentem Papa à se abdicare  
5 non potest: quanquam Papatui renuncia-  
re valeat.

QVÆSTIO IX.

*An Concordatis derogetur per Re-  
gulam de beneficiis pro-  
mouendorum.*

Tenorem huius Regulæ ponimus in-  
fra *Notab. quarto.* & vt loquamur cum  
Rebuffo, hæc Regula vult, quod  
non valeat collatio beneficii illius, qui ad  
1 Episcopatum, vel Abbatiam, vel ad regi-  
men alicuius Ecclesiæ promoueri deside-  
rat hoc est, quod si, exempli gratia, P. De-  
canus in A. post mortem B. eligatur in E-  
piscopum, & P. post mortem dicti B. resi-  
gnet Decanatum in manus Capituli, &  
postea confirmetur in Episcopum, ele-  
ctio, seu prouisio super Decanatu facta  
per Capitulum erit nulla, & Decanatus  
censetur Pontifici reseruatus. Nunc quæ-  
ritur, an huic reseruatiõni Pontificiæ ob-  
stent Concordata? Flam. *Parif. de Resig-  
lib. 3. qu. 6. num. 92.* paucis verbis sic resol-  
uit: dubitatur an Regula deroget Con-  
cordatis. Rebuffus tenet quod non; &  
2 ita fuit resolutum in Rota, in vna Pader-  
bornen. Præposituræ, die Lunæ 29. (error  
est hic vel typographi, vel scriptoris, quia  
29. Maii dies anno 88. non incidit in diem  
Lunæ, nec in diem rotalem. Ex decis. patet  
primò 9. Martii, & secundò 30. Maii  
dictam causam fuisse in Rota propositam.)  
3 Maii 1588. coram R. P. D. Bubalo. Rebuf-  
fus autem *super Reg. XXVI.* ita scribit:  
Vnde putarem in Francia, quod si iste pro-  
mouendus coram Ordinario resignaret  
beneficia ante promotionem, quod illa  
collatio valeret, cum omnes Regulæ sa-  
pientes reseruatiõnem sint in Regno

Franciæ sublata per *Rubr. de Reser. in Concor-  
datis.*

His tamen non obstantibus veritas est,  
quod dicta Regula afficiat etiam in Ger-  
mania. Et huius conclusionis funda-  
mentum est euidentissimum, quod com-  
muni Doctorum opinione hæc Regula est  
fauorabilis, & declaratiua Constitutionis  
ad Regimen; quæ constitutio intrat in  
Concordata, & præseruatur in Concor-  
datis, *Rota d. decij. coram R. P. D. Bubalo. vers.  
Quod eo magis.* Et cum hoc fundamen-  
tum induxerit Flam. *d. qu. nu. 88.* ad proban-  
dum dictam Regulam comprehendere e-  
lectiua beneficia, mirum sanè quod non i-  
dem considerauerit in sub sequenti pun-  
cto circa Concordata: sed dici potest eum  
tam infinitis questionibus evoluerendis oc-  
cupatum circa Vltimontanorum specia-  
lia Concordatorum iura obiter ibi retu-  
lisse Rebuffi opinionem.

Ad eius binas allegationes clara est re-  
6 sponso. Nam etsi Rota in prima propo-  
sitione cause Paderbornen. id asseruerit in  
secunda tamen propositione ex præmisso  
fundamento priorem decisionem rectè  
correxerit. Rebuffus verò loco allegato in-  
cautè loquitur per verbum omnes; & re-  
ctius dixit *in add. ad Reg. 1.* In Francia non  
7 seruari Regulas, si sint contrariæ Concor-  
datis. Ex quo sequitur cum Regula de  
promouendis non sit contraria Concor-  
datis Germaniæ, sed sub constitutione Ad  
Regimen, quæ est pars Concordatorum,  
intret Concordata, vt ius declaratiuum,  
dictam Regulam etiam in Germania om-  
nino attendendam esse. Et nemo dicere  
8 poterit per Concordata sublatas, & irritas  
censeri omnes Regulas Cancellariæ. Nam  
Reg. de infirmis resignan. *de publican. resig-  
gnat.* (in cuius locum hodie successit Con-  
9 titutio Gregoriana) de verisimili notitia  
de valore exprimendo, de Annali, Trien-  
nali &c. etiam circa beneficia Germa-  
niæ locum sibi vindicare ma-  
nifesti Iuris  
est.